

minem, non hunc hominem, nisi in quantum homo non potest esse, nisi sit hic homo<sup>1</sup> ». Quare individuorum multiplicatio non est nisi ob conservationem speciei<sup>2</sup>.

## L

## DISTINCTIONES

I. LATE—STRICTE. *Late*, seu communiter sumitur vox, cum usurpatur ultra significationem sibi propriam. E. g., *principium late* dicitur *causa*<sup>3</sup>. *Stricte*, seu *proprie*, cum vox secundum sui significationem tantum accipitur. E. g., Deus *stricte* dicitur *causa mundi*. Item « *rationale* . . . quandoque sumitur *stricte et proprie*, secundum quod ratio dicit quamdam obumbrationem intellectualis naturae . . . , quod patet ex hoc, quod statim non offertur sibi veritas; sed per inquisitionem discurrendo invenit<sup>4</sup>; et sic *rationale* est *differentia animalis*, et Deo non convenit, nec Angelis: quandoque sumitur pro qualibet cognitione virtutis non impressae in materia, et sic convenit communiter Deo, Angelis, et hominibus<sup>5</sup> ». Aliud exemplum sumi potest ex voce *delicti*; quod videtur esse idem quod *derelictum*. Nam « *delictum* communiter sumtum significat quamecumque omissionem; quandoque tamem *stricte* accipitur pro eo quod omittitur aliquid de his quae pertinent ad Deum, vel quando scienter, et quasi cum quodam contemtu derelinquit homo id quod facere debet<sup>6</sup> ».

II. LIBERTAS A COACTIONE—LIBERTAS A NECESSITATE NATURAE. *Libertas a coactione* excludit omnem vim extrinsecus cogentem, proindeque est illa, qua agens, sublata omni vi exteriori ipsum impellente, secundum naturalem suam propensionem, sive inclinationem operatur. Appellari solet etiam *spontaneitas*. Ita nos bonum in communivolumus non coacti, sed tamen ex vi naturalis inclinationis, ac proinde ita necessario, ut malum sub ratione mali

<sup>1</sup> *Qq. disp.*, q. un, *De an.*, a. 18 c.

<sup>2</sup> Vid. quae diximus p. 184.

<sup>3</sup> Vid. p. 58.—<sup>4</sup> Vid. p. 177.

<sup>5</sup> In lib. I *Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 4.

<sup>6</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXIX, a. 4 ad 3.

velle non possimus. *Libertas autem a necessitate naturae*, seu *libertas arbitrii* excludit etiam omnem vim intrinsecus cogentem, ac proinde consistit, ut s. Thomas inquit, in potestate aliquid eligendi<sup>1</sup>, seu in *praeacceptione unius respectu alterius*<sup>2</sup>; nam, cum voluntas a qualibet naturali necessitate sit immunis, suis actibus dominatur, et ideo potest hoc, vel illud eligere. Quare libertas arbitrii vulgo dicitur illa, qua agens, positis omnibus ad agendum conditionibus, non est natura sua ita determinatum ad unum, ut non possit aliud velle, sed procedit cum indifferentia, seu cum potestate ponendi, vel non ponendi actum, puta scribendi, vel non scribendi, aut ponendi actus contrarios circa idem obiectum, ut amorem, et odium, aut etiam ponendi actus tantum disparatos, ut scribere, vel ambulare. Potestas ponendi, vel non ponendi actum appellatur *libertas contradictionis*, quia est inter extrema contradictorie opposita; potestas ponendi actus contrarios, vel disparatos, *libertas specificationis*, quae magis proprie dicitur *contrarietas*, si actus sint contrarii<sup>3</sup>; et libertas *quoad individuum*, si versatur circa hunc vel illum actum eiusdem speciei, puta potestas erogandi in pauperes hoc, vel illo modo.

III. LOCATUM ESSE—IN LOCO ESSE. Quemadmodum s. Bonaventura adnotavit, haec duo *ratione virtutis* vocabuli non sunt idem. « Nam haec determinatio, in loco, ad hoc quod habeat veritatem locutio, non exigit, nec ponit nisi praesentialitatem et indistantiam; sed esse locatum ponit ambitum et continentiam, *hoc est significat aliquid esse in loco circumscriptive*<sup>4</sup>. Et ideo haec conceditur, Deus est in loco, quamvis aliquid habeat improprietas, propter hoc quod haec praepositio *in* videtur importare continentiam ambientem; sed haec est magis impropria, Deus est locatus<sup>5</sup> ».

IV. LOCATUM—SITUM. Corpus dicitur *locatum*, prout in loco continetur; dicitur autem *situm*, prout hoc vel illo modo est in loco, seu *ratione ordinis*, quem partes habent ad locum; puta corpus animalis stans, sedens etc.

<sup>1</sup> I, q. LXXXIII, a. 3 c.

<sup>2</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XIII, a. 2 c.

<sup>3</sup> Vid. p. 170.—<sup>4</sup> Vid. p. 64.

<sup>5</sup> In lib. I *Sent.*, Dist. XXXVII, p. 2, a. I, q. 1 ad arg.

dicitur *situm*; haec enim ordinem partium ad locum significant<sup>1</sup>.

V. LOCUS VULGARITER—PHILOSOPHICE SUMTUS. *Locus vulgariter* sumitur pro quocumque spatio, quod corpora capere in se potest, quomodo urbem, scholam, domum, *locum* esse dicimus: magis *philosophice* autem est interior superficies ambientis et continentis corporis; ut si amphora contineat aquam, interior superficies amphorae, quae undique aquam claudit, dicitur esse locus aquae<sup>2</sup>.

VI. LOGICA DIVERSITAS—PHYSICA<sup>3</sup>.

VII. LOGICA POTENTIA—PHYSICA<sup>4</sup>.

VIII. LOGICA PROPRIETAS—PHYSICA<sup>5</sup>.

IX. LOGICA VERITAS—METAPHYSICA—MORALIS<sup>6</sup>.

X. LOGICE—PHYSICE. *Logice* idem est ac secundum mentis considerationem. *Physice* idem est ac *a parte rei*, seu re ipsa: « *Logicus* considerat intentiones tantum . . . Naturalis autem considerat res secundum suum esse<sup>7</sup> ». Quare « verum est, quod considerationi physicae aliquid respondet in re<sup>8</sup> ». E. g., hic mundus *physice*; ens communiter acceptum *logice* tantum existit. Item, qui negat essentiale proprietatem alicuius rei, destruit ipsius essentiam non quidem *physice*, sed *logice*.

XI. LOGICE—PHYSICE—METAPHYSICE. Dicuntur potissimum de variis *compositorum* generibus. *Physice* compositum est illud, quod constat ex partibus re ipsa distinctis, quae sunt vel partes integrantes, vel principia naturalia, puta materia, et forma. *Metaphysice*, illud, quod exurget ex potentia et actu, essentia et existentia, natura ac personalitate. *Logice*, quod coalescit ex genere, atque differentia. E. g., homo *physice* componitur ex corpore, et anima rationali; *metaphysice* ex natura humana, et personalitate; *logice* ex animali et rationali.

XII. LOGICUS DESCENSUS—PHYSICUS. *Logicus descensus* est,

<sup>1</sup> « Situs a positione dictus est, ut quis aut stet, aut sedeat, aut iaceat. Locus est ubi sit, in foro, in platea »; s. Isid., *Etymolog.*, lib. II, c. 26.

<sup>2</sup> « Est locus extremitas continentis, quatenus continet id quo continetur »; s. Greg. Nyssen., *De Anim.*

<sup>3</sup> Vid. p. 99.—<sup>4</sup> Vid. litt. P.—<sup>5</sup> Vid. litt. P.—<sup>6</sup> Vid. litt. V.

<sup>7</sup> S. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 2 ad 1.

<sup>8</sup> S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 ad arg.

cum aliqua communis vox resolvitur in varias, quas amplectitur, significaciones; vel cum ex universalibus principiis ratio redditur alicuius rei particularis, atque generaliter cum intellectus ab abstracto ad concretum procedit, qua ratione intellectus dicitur *componens*, dum e contrario appellatur *resolvens*, quatenus a concreto ad abstractum progreditur<sup>4</sup>. *Physicus descensus* est, cum res naturaliter ita movetur, ut deorsum feratur.

## L

### E F F A T A

I. LOCALIS MOTUS EST OMNIUM PERFECTISSIMUS; vel, LATIO PRIMA MUTATIONUM. *Localis motus*, vel *latio* est motus de loco in locum. Iam « in motibus corporalibus perfectiores et primi sunt locales<sup>2</sup> ». Est quidem motus localis perfectior, nam ubi minor mutatio in aliquo invenitur, eo maior ibi est perfectio: Iam ex motu *locali* mobile minorem patitur mutationem; seu, ut loquitur s. Thomas, « non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum<sup>3</sup> ». Hinc, licet motus *alterationis*, qui consistit in motu a qualitate ad qualitatem, quatenus « in hoc motu aliquid a re abiicitur, et aliquid imprimitur<sup>4</sup> », possit mobili maiorem perfectionem adferre, e. g., recuperationem sanitatis; tamen ipsam consequitur maior, magisque interna variatio; ideoque ex hoc capite non est perfectior. Est autem primus, quia sine ipso non potest esse aliquid aliorum motuum; non enim « augmentatur aliquid, nisi praeeexistente alteratione, per quam quod prius erat dissimile, convertatur, et fiat simile; neque alteratio potest esse, nisi praeeexistente loci mutatione, quia ad hoc quod fiat alteratio, oportet quod alterans sit magis propinquum alterato nunc, quam prius<sup>5</sup> ».

<sup>1</sup> Vid. s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. VII, part. 1, dub. 3. Vid. *Processus compositivus—resolutivus*, litt. P.

<sup>2</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CLXXX, a. 6 c.—<sup>3</sup> 1, q. CX, a. 3 c.

<sup>4</sup> In lib. III *Sent.*, Dist. XV, q. II, a. 1, sol. 1 c.

<sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 82, n. 6.

**II. LOCALIS MOTUS IMMEDIATUS NON POTEST DARI.** Scilicet, corpus, quod movetur motu locali, necesse est, ut ab extremo ad extremum per media perveniat<sup>1</sup>. Huic effato respondet illud, quod iam explanatum est, *Ab extremo ad extremum non datur transitus nisi per medium*<sup>2</sup>. Monente autem s. Thoma, moveri de extremo in extremum, quod corpori convenit, non potest per se convenire Angelo; nam « corpus mensuratur, et continetur loco, unde oportet quod sequatur leges loci in suo motu. Sed substantia Angeli non est subdita loco ut contenta, sed est superior eo ut continens; unde in potestate eius est applicare se loco prout vult per medium, vel sine medio<sup>3</sup> ».

**III. LOCUS EST IMMUTABILIS TERMINUS CONTINENTIS.** Scilicet, locus non dicitur moveri, quando aliquid secundum locum movetur. Etenim, ut paulo ante diximus, « motus localis non variat rem secundum aliquid ei inhaerens, sed solum secundum aliquid extrinsecum<sup>4</sup> ». Atqui « quando illud, secundum quod aliquid mutari dicitur, est extrinsecum, tunc in illa mutatione non mutatur, sed immobile perseverat<sup>5</sup> ». Ergo locus est immutabilis terminus continentis. Quod quidem perspicuum est « eo quod per localem motum non dicitur esse successio locorum in uno locato, sed magis successio locatorum in uno loco<sup>6</sup> ».

**IV. LOCUS PROPRIE MATHEMATICIS NON DEBETUR.** Ratio est, quia in mathematicis consideratur quantitas, prout est quantitas, non autem prout in rerum natura existit. Atqui « quanto, prout quantum est, non debetur proprie locus, sed prout habet determinatam naturam ». Ergo « mathematicis similitudinarie dandus est locus<sup>1</sup> ».

**V. LOCUS TOTIUS EST ETIAM LOCUS PARTIUM.** Hoc effatum accipiendo non est, quatenus idem *numero* sit locus totius et partis, siquidem « esse totius non est alicuius suarum partium<sup>2</sup>; sed quatenus pars eundem *specie* locum habet, ac totum; vel potius quatenus idem est ordo partium, ac totius, cum hoc vel deorsum descendit, vel sursum ascendit.

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. LXVII, a. 2 c.—<sup>2</sup> Vid. p. 123.

<sup>3</sup> I, q. LIII, a. 2 c.—<sup>4</sup> *Cont. Gent.*, loc. cit.

<sup>5</sup> *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 6 c.—<sup>6</sup> *Ibid.*

<sup>7</sup> S. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. 11, a. 2 ad 3.

<sup>8</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. IV, a. 5 ad 2

**VI. LOGICA EST OMNIA ET NIHIL.** Logica nempe est omnia *in potentia*; quia ille, qui Logicam perfecte possidet, omnia facile capit artium et scientiarum genera. Est autem *nihil*; quia non docet res, sed rationem tractandi res, quae in aliis scientiis proponuntur: Sicut enim nauta utitur navi a fabro accepta, atque faber non navigat, ita Logicus non disputat, sed docet alios disputare<sup>1</sup>.

## M

### DISTINCTIONES

**I. MALUM—DEFECTUS—PECCATUM—CULPA<sup>2</sup>.**

**II. MALUM NATURAE—MALUM CULPAE.** *Malum naturae* est privatio entitatis alicui debitae; cuiusmodi est in homine privatio oculi, pedis etc. Hoc autem malum naturae « quandoque est a causa naturali, et tunc dicitur malum naturae non solum quia privatur naturae bonum, sed etiam quia est effectus naturae, sicut mors naturalis, et alii huiusmodi defectus: aliquando vero malum naturae provenit ex causa non naturali, sicut mors, quae violenter infertur a persecutore<sup>3</sup> ». *Malum culpaे*, seu *morale* consistit in discrepantia alicuius actionis a recta ratione.

**III. MATERIA—FORMA<sup>4</sup>.**

**IV. MATERIA PRIMA—SECUNDA.** *Materia* dicitur *prima*, cum spectatur, quatenus omni plane forma est destituta, atque omnium est capax<sup>5</sup>: « Id communiter materia prima nominatur, quod est in genere substantiae, ut potentia quaedam intellecta praeter omnem speciem et formam; quae tamen est susceptiva formarum<sup>6</sup> ». Dicitur vero *se-*

<sup>1</sup> « Est enim Logices, quae verborum dictorumque videtur continere rationes, proprietatesque, et improprietas, generaque, et species, et figuras singulorum quoque edocere dictorum; quam ulique disciplinam non tam separari, quam inseri ceteris convenient et intexi »; Orig., *In Canticum Canticorum, Prologus*.

<sup>2</sup> Vid. p. 91.—<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. XLII, a. 2 c.

<sup>4</sup> Vid. p. 127.—<sup>5</sup> *Ibid.*

<sup>6</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.* a. 1 c. « Aristoteles, et Plato materiam corpoream illam quidem vocarunt, sed forma, specie, figura et qualitate carentem, si eam suapte natura spectaveris, quae tamen uti formarum omnium receptaculum est »; Euseb., *Praep. Ev.*, lib. XV, c. 44.